

aliis Regnis annexis, Majestas Sua, iuxta articulum vndecimum ante Coronationem Anno Millesimo sexcentesimo octauo editum conferet. Quinta conditio. Quod pro Justitiae administratione, sine qua Regna consistere non possunt, secundum laudabilem et Deo gratam in celebrandis Judiciis antiquam Regni consuetudinem Judicia octaualia pacis tempore, tam in superioribus, quam in inferioribus Regni Partibus, iuxta constitutionem Anni Millesimi sexcentesimi noni, articulum septuagesimum, continuo celebrari faciet, et iuxta eundem Articulum tam in Tabula Regia, quam Appellationibus, sine discretione Religionis Judices fiant, neque Status et Ordines Regni mandatis extra terminos Judiciorum coram Judicibus Regni Ordinariis vel Deputatis Juri stare et ad productionem Priuilegiorum cogere executionesque legitimas nec per se impedit, nec per suos Officiales impediri patietur, similiter etiam illegitima Judicia et illegitimas Executiones fieri non admittet. Allegantur primo pro Judiciorum octaualium celebratione articulus septuagesimus Anni Millesimi sexcentesimi noni. Secundo, pro Juribus Nobilitaris praerogativae tripartiti primi titulus nonagesimus sextus; Item Ferdinandi Regis Anni Millesimi quingentesimi quadragesimi sexti articulus trigesimus; Item articulus vndecimus Pacificationis Viennensis. Tertio, ne mandatis Regiis Juris processus turbetur, Mathiae primi Millesimi quadringentesimi septuagesimi primi anni articulus duodecimus; Maximiliani Millesimi quingentesimi sexagesimi sexti articulus vigesimus quintus; Mathiae secundi Millesimi sexcentesimi decimi tertii articulus trigesimus quartus. Quarto, ne expediantur mandata illegitima, Ferdinandi Anni Millesimi quingentesimi sexagesimi tertii articulus octuagesimus; Mathiae secundi Millesimi sexcentesimi octauo articulus sextus. Sexta conditio. Quod religionis negotium inter vniversos Status et Ordines Regni in suis ac fisci bonis, item in confiniis quoque Regni Hungariae militibus Hungaris, propter Regni tranquillitatem permansionem, iuxta constitutiones Viennenses et Articulos ante Coronationem editos maneat liberum, illaesum, et illibatum, ita videlicet, ut Religionis exercitium tam Baronibus, Magnatibus et Nobilibus, quam liberis etiam Ciuitatibus vniversisque Statibus et Ordinibus Regni in suis ac Fisci bonis, item in Confiniis Regni Hungariae, nec non oppidis ac villis, illud sponte ac libere acceptare volentibus, ubique liberum relinquatur, nec quisquam cujuscunque Status et conditionis existens in libero eiusdem usu ac exercitio Religionis a Majestate Sua Regia et aliis quibusuis Dominis Terrestribus quouis modo aut quouis sub praetextu turbetur et impediatur. Septima conditio. Quod in Palatini Electione, eiusdemque auctoritate, Jurisdictione et officio iuxta articulum Viennensis Pacificationis ad tertium, item ante Coronationem edito Anni Millesimi Sexcentesimi octauo art. vndecimo et Anni Millesimi Sexcentesimi decimi tertii articulo septimo, Ferdinandi Regis Anni Millesimi Quingentesimi quinquagesimi quinti articulo primo circa finem, ac secundum formam Juramenti eiusdem Palatini praescriptum modum Majestas Sua obseruata est. De Banatu etiam, quae in eodem articulo vndecimo Anni Millesimi Sexcentesimi octauo continentur, similiter et de Walachis annorum Millesimi sexcentesimi quarti articulum decimum quartum, Anni Millesimi sexcentesimi octauo articulum nonum et Anni Millesimi sexcentesimi decimi tertii articulum Trigesimum nonum effectuat. Octaua conditio. Quandoquidem salus et permansio non modo afflicte hujus Patriae, tanquam clypei et antemuralis, sed aliorum quoque vicinorum Regnorum et Provinciarum, ex bona et secunda Confiniorum prouisione dependeat: Majestas Sua iuxta articulum vige-